

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Incarnatio c
cum fonte primo

Iudee citharam respice, ut musicum melos sonis dulcibus reddat.
Tria pariter adesse uidentur: ars, manus, corda;
et tamen unus sonus auditur: ars dictat, manus tangit, corda resonat.
Tria pariter operantur, sed sola corda resonat.
Nec ars nec manus sonum reddunt, sed cum corda pariter operantur.
Sic nec Pater nec Spiritus Sanctus susceperunt carnem,
et tamen cum Filio pariter operantur.
Sonum sola corda excutit, carnem solus Christus accepit.
Operatio in tribus constat,
sed quomodo pertinet ad solam cordam soni redditio,
sic pertinet ad solum Christum carnis humane susceptio.

Augustinus de incarnatione Domini contra Iudeos.

Adhuc citharam respice. Ut musicum melos sonis dulcibus reddat,
tria pariter adesse uidentur, ars, manus et chorda:
et tamen unus sonus auditur; ars dictat, manus tangit, resonat chorda.
Tria pariter operantur; sed sola chorda personat quod auditur:
nec ars nec manus sonum reddunt, sed ea cum chorda pariter operantur.
Sic nec Pater nec Spiritus sanctus susceperunt carnem;
et tamen cum Filio pariter operantur.
Sonum sola chorda excutit; carnem solus Christus suscepit.
Operatio in tribus constat:
sed quomodo ad solam pertinet chordam soni redditio,
sic pertinet ad solum Christum carnis humane susceptio.

Auctor incertus (Augustinus Hipponensis?), *Sermones de diversis*, 245.2
(PL 39, col.2197).